

tatis. Item secundo, quia Angelum habere in illo instanti cogitationem illam bonam efficaciter moventem est gratia Dei, non minus quam continuatio ejus in secundo instanti ut perseveret: quomodo enim intelligi potest, quod idem auxilium primo collatum in hoc instanti non sit gratia Dei, et in secundo instanti idemmet continuatum sit gratia? Et deinde, quia illud auxilium si non erat gratia, nec beneficium Dei: ergo Angelus sine gratia merebatur in primo instanti, et consequenter ex viribus liberi arbitrii quod est hæreticum: ergo quod illi daretur auxilium ad non peccandum: sed ad operandum bene, non erat debitum jure creationis, sed ex gratia Dei descendens, sicut et in nobis; quod si non erat debita, poterat negari, et consequenter Angelus peccare. Tertio, quia secundum intrinsecam eandem potestatem physicam, et moralem ad peccandum habuit Angelus in primo, et in secundo instanti ut dictum est; nec enim in secundo instanti aliquid illi advenit intrinsece, quod antea non haberet: ergo simpliciter, et extrinsecis principiis loquendo, potuit Angelus peccare in primo instanti, quod si non potuit, solum fuit ex mantenentia Dei extrinseca. Denique, homo in primo instanti potest nasci cum habituali peccato, scilicet originali, quod simpliciter ei est voluntarium: ergo et Angelus cum actuali, quod ei est liberum, et sicut ex primo habituali nihil refunditur in Deum, ita neque ex isto actuali, præsertim, quia homo primo instanti usus rationis peccare potest actualiter: ergo et Angelus in primo instanti sui usus rationis, et liberæ operationis, quæ est primum instans simpliciter.

XXXI. Respondetur solutione data inter arguendum quæ sine dubio certa est, et ex D. Thoma desumi-

tur q. xvi de malo, artic. iv, præsertim solutione ad v et vii et xviii. Itaque Angelus pro illo instanti non potest moveri libertate contrarietatis penes velle hoc objectum scilicet bonum, et oppositum ejus scilicet malum, quia primæ operationi, in quantum prima, impossibilis est deficientia circa bonum ex defectu moventis ad illud, seu formantis dictamen defectuosum: potest tamen moveri libertate contradictionis penes velle, aut non velle, exercere, vel non exercere ipsum actum. Nec obstat quod pro illo instanti possit sibi æqualiter proponi bonum aliquod, et malum sub ratione boni, potestque voluntas pro sua libertate eligere minus bonum, vel æquale relicto altero: dicimus enim, quod licet demus hoc quod in potestate voluntatis est ex duobus æqualibus aut æqualiter propositis eligere æquale, vel etiam minus bonum immediate, et per se, non imperando aliud dictamen fieri, adhuc tamen non sequitur quod possit eligere minus bonum, vel æquale sine defectu, quia hoc ipsum quod est proponi malum æqualiter, vel meliori modo quam id quod est in se bonum aut non detinere, vel impedire voluntatem ne minus bene propositum eligat, magnus defectus in ipso dictamine, et propositione est.

XXXII. Ad primam instantiam de omissione, respondetur quod voluntas habet principium omittendi ex vi libertatis, et quantum est ex vi, et meritis objecti omissione physica, quæ non est aliud quam negatio actus, et suspensio operandi, per accidens autem, et ratione primi instantis, in quantum ille actus est primus, et prima operandi occasio, non potest omittere moraliter, et culpabiliter: ommissio enim moralis addit supra physicam, quod sit voluntaria, vel volita. Et ut sit vo-

lita, requirit actum, cujus objectum sit talis ommissio: nihil enim est volitum ut objectum, nisi respectu alicujus actus volitionis. Et sic si datur in illo primo instanti ommissio volita, datur volitio illius. Unde jam non est pura ommissio, sed actus malus volens omissionem malam, eademque est ratio illius, et cujuscumque alterius peccati commissionis. Ut autem ommissio sit voluntaria, licet non sit volita, requiritur quod illa ommissio emanet a voluntate, seu voluntas sit causa illius. Est autem causa, vel expressa, et directa volendo illam, de quo jam diximus, vel indirecta volendo aliud, ex quo sequitur ommissio, vel antecedenti aliquo actu, vel concomitanti. Et cum antecederet non detur alius actus, si quidem in illo primo instanti, ille est primus, restat quod solum possit concomitanter illa ommissio esse voluntaria, quatenus in illo primo instanti voluntas convertitur ad aliquod objectum per quod impeditur, seu desinit implere præceptum, et omittit illud: et talis actus cum tali circumstantia omissionis peccatum est, exigitque dictamen defectuosum, et inconsiderationem, sicut quæcumque alia peccata. Unde pro morali omissione stante præcepto pro illo primo instanti, ego non video differentiam inter omissionem moralem culpabilem, vel commissionem.

XXXIII. Et quando dicitur, quod si pro illo instanti voluntas est libera ad omittendum omissione physica, et secundum libertatem contradictionis, posito præcepto illa ommissio erit peccatum, et sic poterit peccare omittendo, respondetur variari hic appellationem ex parte illius termini posse, in quo frequenter fiunt paralogismi in hac materia de libertate a posse sub una ratione, ad posse sub alia, a posse in sensu

diviso, ad posse in sensu composito, et sexcenta alia. Est ly posse, et ly potentia terminus importans appellationem erga objectum suum, et ordo ad objectum semper debet sumi formaliter, et ut stat sub formali ratione tendendi ad objectum, et similiter aliquid attentis omnibus non potest, quod ex vi alicujus rationis formalis præcise sumptæ non repugnat, vel etiam e converso. Quæ omnia præ oculis valde habenda sunt, alias continget facile paralogizare. Dicimus ergo quod in primo instanti potest facere, et non facere Angelus, velle, vel omittere, considerando ly non facere, et ly omittere, ut sunt extremum contradictionis, et exercitii liberi, non ut sunt extremum contrarietatis, et culpabilis ac voluntariæ omissionis, quæ exigit actum concomitantem, vel antecedentem, et antecedens dari non potest, cum sit ille primus: si autem concomitans daretur, jam non daretur pura ommissio, sed etiam commissio. Libertas ergo pro illo instanti solum est libertas contradictionis ad diversos actus ejusdem speciei non contrarietatis, et ita facit hunc actum quod non cogitur facere illum, sed potest alium facere intra eandem speciem, et ita facit hanc speciem actus, quod non cogitur facere illam, sed potest non facere quantum est ex vi objecti, et ex meritis illius, ut bonum est, et appetibile; et tamen sub alia ratione consideratum illud objectum, scilicet ut deficiens a regulis rationis non potest ab ista voluntate hic et nunc esse volitum per accidens, et ex alia ratione, scilicet quia deest principium defectuose movens, et dirigens. Nec enim necesse est quod voluntas ut libera sit, possit omittere illum actum, vel objectum sub omni ratione, et modo; sufficit quod in quantum conducit ad libertatis indifferentiam, seu ad non co-



actionem potentiæ, possit illud non velle, id est, non cogatur ab illo ex meritis objecti, et ut appetibile est: sicut etiam Christus Dominus ratione personæ, et beatus ratione status, et Deus ipse ratione summæ perfectionis non possunt velle omissionem, seu illud non facere quatenus defectuosum est, licet liberæ voluntatis sint, quia non pertinet ad perfectionem libertatis posse velle, et non velle, etiam defectuose, sed posse velle, et non velle non coactive, et quoad exercitium, quidquid sit an ad volendum defectuose necessitentur quoad specificationem.

XXXIV. Quare cum dicitur quod potest non facere, etiam stante præcepto, distinguo; potentia antecedenti, seu in sensu diviso, concedo; potest potentia consequenti, et in sensu composito, nego: dicitur potentia antecedens, quæ consideratur secundum se ante actum, et ante omnia requisita ad actum; et sic respicit objectum secundum se præcise, et hoc est in sensu diviso, scilicet dividendo a collectione eorum quæ concurrunt, et requiruntur ad operandum hic, et nunc, et solum considerando id quod est in objecto ex meritis objecti. Dicitur potentia consequens, illa quæ est conjuncta cum actu, et respicit actionem ut faciendam hic, et nunc, et objectum cum omnibus requisitis et concurrentibus ad agendum, vel non agendum. Et sic non requiritur ad libertatem quod possit non operari, aut possit circa tale objectum, si importatur objectum sub aliqua formalitate, et respectu ipsi incompossibili. Et sic illa ommissio ut culpabilis, et illud non facere ut defectibile, et ut contrarium rationi, redditur impossibile illi Angelo per accidens, id est, pro primo actu quod alias secundum se, et non sub appellatione defectibilis impossibile non est. Et Christo ratione personæ red-

ditur impossibilis ommissio ut defectuosa, et contraria præcepto, quæ secundum se impossibilis non est, nec illi voluntati ex parte naturæ creatæ, sed ratione personæ, sicut etiam beato, ratione status, est impossibilis actio, vel ommissio defectibilis, et non ex propriis, et intrinsicis principiis voluntatis, et naturæ. Ad libertatem autem sufficit quod aliquid non sit impossibile antecedenter, et in sensu diviso, ita quod ex propriis, et intrinsicis principiis non coarctet voluntatem, et in quantum pertinere potest ad id quod perfectionis in voluntate est, licet in sensu composito, et potentia consequenti, et in quantum reducitur ad aliquid, defectibile non possit fieri, quia hoc imperfectionis est, et non requiritur ad libertatem, quod sub omni ratione, et appellatione aliquid possit, sicut nec ad intellectum quod sub omni modo, etiam imperfecto, intelligat.

XXXV. Ad secundam instantiam respondetur, quod in auxilio Dei, quod datur ad operandum in primo instanti, est distinguendum de auxilio illo ut supernaturalis ordinis est, et datur cum valore merito vitæ æternæ; et sic est omnino gratuitum, nec debitum Angelo jure creationis, aut aliquo alio titulo, quam ex mera liberalitate Dei: posset enim denegare Angelo quidquid supernaturalitatis est. Aliud potest considerari in illo auxilio, seu concursu, scilicet quod non habeat adjunctam permissionem peccati, etiamsi in genere supernaturali non sit. Et hoc est debitum jure creationis, nec est gratia specialis, sed solum generalis, sicut concursus cum quacumque alia re juxta debitum suæ naturæ pro loco, et tempore. Et licet non sit debitum Angelo absolute, et tamen debitum ipsi Deo tunc moventi, et ex suppositione quod Deus creat Angelum perfectum, id est, cum opera-

tionem suam in primo instanti, tenetur Deus ipso jure creationis illum movere, et applicare ad agendum, nec est aliud movens defectuosum a quo determinetur ista creatura, et juxta cujus dispositionem Deus se accomodando permittat defectum, ideo non est recurrendum ad specialem gratiam pro illo instanti, sed ad ipsam exigentiam creationis sic factæ, et creaturæ intellectualis sic motæ ut pro illo instanti non adjungatur ei, nec adjungi possit permissio defectus ex suppositione quod operatur. Et ad ipsum præceptum supernaturale charitatis implendum indiget gratia speciali, et supernaturali, non quia evitatio peccati est præcise, sed quia actus supernaturalis est: semper enim quod supernaturale est, gratia indiget speciali simpliciter, quia non tenetur Deus in ordine supernaturali dare gratiam, et concursum absolute, et simpliciter. Non tamen repugnat quod ex suppositione aliqua Deus habeat debitum dandi gratiam supernaturalem, quod est debitum secundum quid, non quidem ex sola suppositione quod dat notitiam Angelo præcepti supernaturalis: hæc enim notitia communis est pro primo, et secundo instanti. Sed ex alia suppositione, nempe quia creat Angelum elevatum ad statum supernaturalem cum præcepto illo, et in instanti ita coarctato, quod non potest ab alio quam a Deo dictamen suscipere, sicut ex suppositione quod Christo imponit præceptum dilectionis supernaturalis, tenetur illi dare auxilium supernaturale, quia persona impeccabilis est.

XXXVI. Ad tertiam instantiam dicitur, quod, ut dicit S. Thomas quæst. xvi de malo, art. iv ad iii: « Angelus non potuerit peccare in primo instanti, non fuit neque propter defectum alicujus potentiæ, qui postmodum fuerit suppletus, neque prop-

ter perfectionem quæ postmodum fuerit subtracta ante peccatum, sed propter ordinem actus. » Quare dicimus quod totum quod est intrinsicum in potentia peccandi, fuit in primo instanti, sed non omne extrinsecum, quia defuit dictamen defectuosum, et a quo posset formari. Et sic habuit potentiam ad peccandum antecedenter, non consequenter: sicut etiam beati, quia ratione status carent dictamine defectuoso, non possunt peccare, quamvis in beatis hæc in potentia sit magis antecedens, et per se, quia status ille est perpetuus, licet accidentaliter sit beato, in Angelo autem tota peccabilitas, et defectibilitas intrinseca quæ est in secundo instanti est in primo; et ideo potentia peccandi est in illo; sed non posse peccare non provenit in illo ex defectu potentiæ physicæ, sed per accidens, et ex impotentia dictaminis defectuosi. Quæ impotentia licet moralis sit, est tamen moralis intrinseca, et non solum extrinseca, sufficitque ad denominandum Angelum simpliciter impotentem ad peccandum, sicut homo etiamsi habeat habitus supernaturales, si tamen caret gratia excitante, impotens est ad operandum, quia caret aliquo simpliciter requisito ad posse, et intrinsece concurrente ex parte intellectus, licet quia ex parte objecti moventis se tenet excitatio, dicatur pertinere ad moralem motionem, ut distinguitur ab operatione physica intra voluntatem operante. Et ita non posse moraliter dupliciter dicitur. Uno modo, ut distinguitur contra non posse simpliciter. Alio modo ut distinguitur contra non posse physice, licet per se, et necessario requiratur illa moralitas. Primo modo intelligitur quod possumus aliquid simpliciter, licet difficulter, et quia difficulter, dicimus moraliter non posse, quia moralitas non dicit po-



testatam, sed difficultatem. Et in hoc sensu patres olim refutabant Pelagium, qui dicebat gratiam dari, non ut simpliciter possimus facere, sed ut facile, quasi moraliter potestatem daret, non simpliciter. Secundo modo potest aliquid morale, et non physicum requiri simpliciter ad aliquid, ita quod sine illo simpliciter non possimus, licet physicum non sit, nec physice moveat, seu concurrat, sicut propositio objecti, et ea quæ ex parte propositionis se tenent, non physice influunt intra voluntatem, sed exterius alliciunt, et tamen simpliciter requiruntur, ita ut sine illa non difficulter possit voluntas, sed nullo modo possit: nihil enim volitum quin præcognitum. Et quia Angelus in primo instanti caruit dictamine defectuoso, nec ex aliqua parte potuit illud habere, simpliciter non potuit peccare, et non solum ordinarie, seu connaturaliter aut difficulter; non tamen hæc impotentia simpliciter orta fuit ex impeccabilitate physica, et indefectibilitate ex parte voluntatis, sed ex indefectibilitate morali ex parte intellectus, intrinsece tamen, et simpliciter requisita.

XXXVII. Ad quartam instantiam respondetur ex D. Thoma citata quæstione xvi de malo, art. iv ad ii, quod: « Anima in primo instanti suæ creationis efficitur mala, non per actionem propriam, sed per unionem ad corpus infectum; unde non est similis ratio de Angelo, qui non potuit fieri malus, nisi per actum proprium. » Itaque peccatum originale non refunditur in Deum etiamsi in primo instanti contrahatur, quia non ex ipsa motione, aut creatione Dei contrahitur, sed ex ordine, et respectu ad primum hominem, a quo seminaliter descendit corpus, cui unitur anima, et fit totus homo membrum illius primi hominis, et particeps peccati

ejus per peccatum sibi communicatum. Unde datur extra Deum causa et ratio sufficiens habendi illud peccatum, non per actionem propriam, sed per contractionem, quæ non datur in Angelo. Ad id vero quod dicitur de perveniente ad usum rationis, quod potest peccare in primo instanti actualiter moraliter, jam supra dictum est, et explicata differentia inter hominem et Angelum quantum ad hoc.

XXXVIII. Tertio arguitur: Quia si aliqua ratio convincit quod Angelus in primo instanti non potest peccare, maxime ratio D. Thomæ, quia alias cum prima operatio attribuitur generanti, et generans sit Deus, refunderetur peccatum in Deum. At hæc ratio non probat: ergo. Minor probatur primo, quia dato quod Deus prædeterminet physice voluntatem ad materiale peccati adhuc non dicitur auctor peccati, nec in illum refunditur malitia, etiamsi illi entitati inseparabiliter sit annexa malitia; imo etiamsi cogitationem offerat, ex qua videt futurum peccatum, quia hæc cogitatio liberam relinquit voluntatem, ut velit, non refunditur in Deum: ergo similiter etiamsi Deus moveat voluntatem Angeli in primo instanti, non illi attribuetur malitia, quia non influit ut causa deficiens, nec Deus amplius influet in primo instanti quam ad materiale peccati: hoc enim solum est capax influxus divini, eo vero posito cum permissione, infallibiliter sequitur peccatum: ergo ut in primo instanti detur peccatum, sufficiet quod Deus permittat ejus malitiam cum prædeterminatione ad materiale ejus entitatem, sed ex hoc quod Deus in illo instanti permittat malitiam peccati et prædeterminet ad materiale, non refunditur aliqua malitia in Deum, quia totum hoc habetur in secundo instanti, et

tamen in Deum non refunditur malitia: ergo ex eo quod Deus ponat in primo instanti quidquid requiritur ad peccandum, et quo posito infallibiliter sequetur peccatum, non sequitur quod in illum refundatur malitia. Quod si dicatur in illa prima operatione Deum non solum prædeterminare ad materiale peccati, sed etiam infundere cogitationem ostendentem illud objectum ad quod est illa prædeterminatio esse malum, ac proinde non esse amandum, quæ cogitatio cum in illo primo instanti sit a Deo, sequitur a Deo esse potentiam peccandi; et sic si Deus dat illam, erit causa peccati, quod per se oritur a tali potentia. Hæc responsio omnino inutilis est, eamque tamquam Thomistarum responsum affert, et late impugnat Alarcon tract. vi de Angelis, disp. v, cap. ii, n. xvi, et sequentibus. Sed, ut video, fingit hostem quem feriat, et magnam paraturam ex Apostolo affert, quia totam illam solutionem potenter enervet. Sed non multo labore opus est, cum constet Deum per legem, per doctrinam, et per multas sanctas cogitationes ostendere hominibus, et Angelis quid sit malum et fugiendum ab ipsis, quid non; ex hoc autem velle Deum facere auctorem potentiæ peccandi, nullus nisi insanus dicere potest, cum lex sancta sit, et bona, quæ ostendit quid sit malum, et fugiendum, nec tamen ex eo quod Deus dat legem, est auctor potentiæ peccandi, aut peccati ipsius, licet occasionaliter ex notitia peccati per legem aggravata sit concupiscentia operando contra illam, ut argumentatur Paulus ad Rom. vii, non oportet nos in hoc immorari, cum hæc responsio non admittatur a nobis.

XXXIX. Secundo, probatur eadem minor, quia tota ratio D. Thomæ fundatur in eo quod prima operatio, quæ incipit cum esse est illi a gene-

rante, sicut lapidi moveri deorsum. Hæc autem propositio non est vera, nisi tantum in illa operatione qua ipsum genitum perficitur in statu sibi naturali, et pertinente ad complementum naturæ ipsius, non autem in illis operationibus quæ omnino accidentales sunt, et supponunt naturam jam plene completam in suo statu naturali, ut patet in igne, quia licet generanti attribuitur quod ignis moveatur sursum, non tamen attribuitur illi quod calefaciat, vel illuminet, etiamsi istæ actiones convenient igni cum ipso suo esse in primo instanti: nam ignis eodem instanti quo est, illuminat, et in eodem instanti quiescit in loco sursum, vel movetur ad illum, si sit extra (eo modo quo incipit motus, scilicet extrinsece,) et motus attribuitur generanti, quia pertinet ad complementum generationis rem esse in loco, non autem attribuitur ei calefactio vel illuminatio, quia istæ actiones non pertinent ad complementum generationis, nec ad constitutionem ejus in suo naturali statu, sed ad motionem, seu actionem erga alia. Non ergo omnis operatio, quæ est in primo instanti attribuitur generanti. Multo minus attribuentur illi actiones vitales rei genitæ a se, et adhuc multo minus actiones liberæ, quia omnes istæ non pertinent ad constituendam rem in suo naturali statu, et esse, neque ad complementum generationis, sed ad elicentiam actionis supponentis totum esse productum, et in quibus agit, et operatur vivens, non autem movetur in se: ergo non attribuentur generanti, alias omnes actiones quas vivens operatur, illi attribuentur: ergo non manet fundata illa propositio, quod omnis operatio, quæ est cum esse rei attribuitur generanti.

XL. Tertio, eadem minor probatur, et enervatur principium D. Thomæ,